



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 27. Nova Cartesii doctrina Regis jussu eliminata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

neta, qui Calvinistas & Lutheranos ad Sæc. XVII, unum sectæ vexillum coarctandi animo A.C. 1675. Germaniam, Sueciam, Daniam aliasque regiones pervagatus, verba, rationem, pecunias, oleum & operam perdidit. Hanc in rem edidit prodiorthosin consultationum Irenicarum, prompticum Irenicum, capita de pace Religiosa & concordia inter Evangelicos instituenda, Scholam reformatam, pluraque ejus generis alia. VIII. Ezechias Woodward elucubravit commentaria in libros Regum, tractatum de Pædobaptismo, investigationem causarum miseriæ nostræ, & vestibulum. IX. Casparus Mauritius scripsit disputationes in formulam concordiæ, Exercitationem secularem de simonia, de officio Christianorum Elenchtico, Exercitationes Anti-Calvinianas, & Socinianas. X. Henricus Müllerus posteritati reliquit Theologiam Scholasticam, causam Augustorum contra Romanum Pontificem, tractatus de conjugio Clericorum, Baptismo pro mortuis, & de Berengarianismo.

§. XXVII.

*Nova Cartesii doctrina Regis jussu
eliminata.*

D 5

Post

Sæc. XVII.
A. C. 1676.

*Argentre
Collect. Jud.
t. 3. p. 342.
& 344.*

Postquam ad Ludovici XIV. Franciæ Regis aures pervenerat, quod in Andegavenſi univerſitate opiniones ad doctrinæ Cartesii palam tradantur, mor die trigeſima Januarii datis ad Rectorem literis prohibuit, ne deinceps nova hæc doctrina utpote Reipublicæ noxia in Collegiis Academiæ Andegavenſi publice vel privatim doceretur: Ea propter Rector hanc Regis epiſtolam ad Univerſitatis acta referri, eique ab omnibus ſubſcribi voluit, præcepitque ut impoſterum Magiſtri ſuas theſes priuſquam illas typis mandaverint, necnon ſcripta per annum dictata, ad univerſitatem deferrent examinanda, an quicquam in illis Cartesia næ doctrinæ conſonum reperiatur. Huic Univerſitatis decreto ſolus Oratorii Superior ac Collegii Rector ſubſcribere renuit, atque ad Pariſienſe Parlamentum provocavit, a quo etiam univerſitati prohibitum, ne ſui decreti executionem urgeret: re autem comperta Rex Parlamenti edictum eſſe nullum declaravit, omnibusque ſubſcriptionem injunxit. Huic Regis mandato paruit etiam Facultas Theologica Cadomenſis, quæ Cartesii principia ſaniori Theologiæ eſſe contraria, biennio poſt declaravit, edito hoc decreto:

„Cum

„Cum sacrae Theologiae Ministri ab
 „Ecclesia constituti sint supra muros Je-
 „rusalem tanquam vigiliae, ut in excu-
 „biis prospiciant, ne quid vel non san-
 „ctum in sanctam civitatem, vel erro-
 „neum in arcem veritatis irrepat: nos
 „infra scripti hujus sacrae Facultatis in
 „Academia Cadomensi Doctores vigi-
 „lantes in omnibus & ministerium no-
 „strum implere cupientes pro prima
 „mensis die tertia Maij Anni 1677. le-
 „gitime congregati declaramus, prin-
 „cipia philosophiae Renati Descartes sa-
 „niori theologorum doctrinae contra-
 „ria nobis videri, & perpetuo decreto
 „statuimus, neminem eorum, qui illa
 „sustinere aut defendere voluerint, ad
 „ullum hujus sacrae Facultatis gradum
 „esse deinceps admittendum. Praeterea
 „attendentes ad mandatum, quo Rex
 „in supremo status consistorio sedens
 „Versaliis die secunda Augusti An. 1676.
 „vetuit, ne ullae opiniones ex iis, quae
 „nituntur principiis Cartesii, doceren-
 „tur in Academia Andegavensi, pro
 „nostra erga Regis voluntatem reveren-
 „tia similiter prohibemus omnibus &
 „singulis, tum jam admissis, tum alias
 „admittendis in nostram Facultatem,
 „ne quis praedicta philosophiae Carte-
 „sianae principia scripto aut viva voce
 „docere, aut propugnare in posterum
 „prae-

Saec. XVII.
 A. C. 1676.

Sæc. XVII. „præsumat sub pœna amittendi gradum
A. C. 1676. „quemcunque in sacra Facultate obti-
 „nuerit. Porro ut hoc decretum om-
 „nibus, ad quos pertinere poterit, in-
 „notescat, in nostræ Facultatis acta re-
 „feretur, & in majoribus scolis proxi-
 „ma disputatione publica per scribam
 „ordinarium promulgabitur coram no-
 „bis & omnibus sive Licentiatis, sive
 „Baccalaureis, sive aliis, quicunque ad-
 „erunt, sacre Theologiæ candidatis.

§. XXVIII.

*Andegavensis Episcopi edictum con-
 tra formulæ juramentum.*

Argentret. c.
p. 344. &
suppl. p. 594.
Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 37.
pag. 65.

Haud diu decantata Pax Clemen-
 tis IX. in Galliis viguit, brevique
 patuit, eam nonnisi subdola dissimu-
 latione, falso adimpletæ conditionis tes-
 timonio aliisque malis artibus extor-
 tam fuisse: Hoc enim anno præ ceteris
 Henricus Arnaldus Andegavensis Epi-
 scopus, unus ex quatuor illis Franciæ
 Episcopis, qui in sua declaratione sub-
 jectionem sinceram erga quæstionem ju-
 ris exaggerantes, aliam de quæstione
 facti dissimulabant, publico documento
 testatus est, cujus tum mentis ac sen-
 tentiæ reipsa fuerit, & qua sinceritate
 plenam obedientiam pollicitus sit, quip-
 pe die quarta Maij ad Decanum, Syn-
 dicum